Σὺν Θεῷ!

ΖΗΤΗΜΑΤΩΝ
περὶ
ΦΥΣΩΝ
ΔΕΚΑΣ.

h. e.

de

FLATIBUS
Quæſtiones decem,

quas

PRÆSIDE

VIRO

Ampliſsimo, Nobiliſsimo, Experientiſsimo,

Excellentiſsimo,

DNO. MARCO MAPPO,

Doctore ac Profeſſore Medico Celeberrimo,

Gratioſæ Facultatis Medicæ p. t. DECANO

Spectabili,

Patrono, Præceptore, Cognato,

quovis nomine devotè colendo,

diſquiſitioni SOLENNI

d. 30. Decembr. M DC LXXV.

h. l. q; ſolitis ſiſtit

M. JOANNES VALENTINUS SCHEID,

Argentoratenſis.

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schütz.

34.

VIRO
MUNERE AC GENERE
NOBILISSIMO,
DOMINO
JOANNI JACOBO
SCHEID,
in Illuſtri & antiquiſsima Triboccorum
Republica
SENATORI GRAVISSIMO,
PATRUO
Patrias vices explenti,
ET BENEFACTORI
munificentiſſimo,
has pagellas conſecrat,
AMPLISSIMO EIUS PATROCINIO
ſe ſtudiaque
ulteriùs
commendans
Obſtrictiſſimus ex Fratre Nepos,
Joannes Valentinus Scheid,
Argentoratenſis.

Σὺν ἰατρῶν

Οὐρανίῳ ΑΡΧΙΑΤΡΩ, μόνῳ σοφῷ καὶ παντοκράτορι!

AMpliſſima pariter & longiſſima Medicina ars eſt, ſi rerum quæ tractat, ſpectemus multitudinem: omnia enim, quæ quidem almæ leges audiunt matris, ea conſiderat, ſi non quà talia, ſaltem quà vel ſalubria vel inſalubria vel neutra horum exiſtunt. Quamvis enim & naturalis & à diſciplinis dicta ſcientiæ etiam latè admodum ſeſe extendant, tamen, quia nuda contemplatione contentæ acquieſcunt, meritò non ad illum, in quo quidem Medicina eſt, gradum aſcendere dicuntur. Hæc enim nondum contenta corpora noviſſe, ut quanta, prout Matheſis, nec ſibi reddita, cognitis eorum cauſis naturalibus, ut Phyſica, ultra progreditur, & illorum tùm vires, tùm affectiones corpori humano applicat, adeoque illius, quod DEUS Ter Opt. Max. humano generi, creaturarum principi, conceſſit, dominii teſtimonium præbet ampliſſimum. Cum autem maximè circa proprium & adæquatum ſubjectum, corpus humanum, eſt ſollicita, ſummo ſtudio in id inquirit, quod quoquo modo illud valet afficere. Hinc, cum aër tanto corpus immutandi, virium robore polleat,

leat,ut inter res neceſſariò nos alterantes à Medicis enumeretur, digniſſimus conſideratu eſt una cum effectibus, quorum non poſtremi ſunt *flatus*, multorum in corpore humano morborum atque ægritudinum auctores. Et hi ſunt, quos præſenti diſquiſitioni ſiſtimus, plures equidem paginas pro materiæ amplitudine requirentes. Verum,cum in omnibus brevitatis ſtudium amorem ſibi facile conciliat, ita neque in hoc prolixa eſſe voluit hæc diſſertatio,ampliſſimum rivum anguſto canali includens.

Generalioribus de tota arte, exemplo ipſius Hippocratis præmiſſis, nunc nos ad cœpta feramur, quæ, ut recta tractentur methodo, flatum per quæſtiones primùm ὀνοματολογικῶς, poſt πραγματολογικῶς conſiderabimus.

Quæstio I.

Quæ ſit flatûs Synonymia, & cujusvis Etymologia?

GRæcis,ut à gente, à qua ferè quicquid cultioris literaturæ præcipuè in Medicina habemus, in nos derivatum eſt, ordiamur, dicitur φῦσα, Hippocrati (ob dialectum Jonicam ipſi familiarem α in η mutantem) φύση ἀπὸ τοῦ φυσᾷν, quod ſufflare, inflare ſignificat. Valde ἀνάλογος eidem Germanorum vox eſt pfyſen (ut quidem majores noſtri enunciabant) utraque ex ipſa ὀνοματοποιΐα deſumta, cum ventus ſibilo imitari vel potius edere hanc vocem videtur. Hinc φυσιόω etiam unde Homerus *Il. π.* ψ. 505. Myrmidonum equos ἵππους φυσιόωντας appellat. Flatus etiam Hippocrati πνεῦμα aliquoties *l. de flat.* dicitur, item Galeno *l. 3. de ſympt. caus. c. 2.* halituoſus Spiritus, Græcè ἀτμῶδες πνεῦμα, & hoc equidem ratione Etymologiæ, quæ illud à πνέω deducit. A quo etiam eſt πνοή ſeu Poëtarum (pro producenda penulti-

(ma

ma) πνοιή, quod etiam de flatibus corpus perſpirantibus acceptum interdum legitur. Item ἀήρ, Hippocrati ἠήρ ob patriam antea allegatam dialectum. Appellatur porro ἄνεμος, (quod videtur eſſe ab ἄω ſeu ἄημι interjecto ν euphonico) hinc Hipp. ſ. 5. ἄνεμος ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα. Denique πορδὴ ἀπὸ τοῦ πέρδω, quod tamen ptoprie flatum jam emiſſum denotat. A Latinis æquè ut Græcis varias ſortitus eſt denominationes, ut flatus à flando, ſpiritus à ſpirando diceretur. Dictus quoque eſt aër Græcorum præcipuè Hippocratis imitatione. Item ventus, unde Salernitani,

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento.

Tandem corpore egreſſus crepitus à ſono, quem interdum edit, nuncupatur. Quem Galenus propriè flatum dici aſſerit *l. 3. de Symptom. caus.* dum ait, cum per os excernitur ructum, cum per ſedem, flatum eſſe. Poſſent equidem adhuc plures flatûs denominationes afferri, ſed præcipuis enumeratis acquieſcamus.

QUÆST. II.

Quæ flatûs homonymia?

QUoad homonymiam ſi ſupra indicata nomina conſideremus, eorum ſignificationem maximè variare deprehendemus. Spiritus enim vocabulum tàm latum eſt Hippocrati, u l. 5. l. περὶ φυσῶν omne inter cœlum & terram ſpiritu plenum aſſerat, imò ultra progrediendo, à Spiritu tempora anni item aſtrorum curſus dependere demonſtret; quem & qualem ibi Spiritum intelligat, facilè liquet, ſcil. auram tàm æthercam quàm aëream, atque hinc obſervent Aſtronomi jam Hippocratem ſoliditatem ſphærarum pro nullo habuiſſe. Æthercam autem auram divinum ſenem innuere patet dum ait καὶ τοῦ Ἡλίου δρόμον ἀέναον ἐόντα ὁ ἀὴρ ἀέναος καὶ λεπτὸς ἐὼν ἀεὶ περιέχεται. Paulo poſt quoque Lunæ fundamentum eſſe juxta Zwingeri lectionem ſcribitur, καὶ τῇ μήνῃ ὅδε τούτου βάθρον, quod quidem Lindanus non perinde legit, cum ejus exemplar καὶ μὴν τε γῆ τούτου βάθρον habet; ſed quod mireris eſt, Lindanum ſummum Virum & Græcarum literarum γνησίως peritiſſimum cum aliter ac Zwingerus

gerus legerit, in verſione eundem cum eo fuiſſe. In decidenda hac controverſiâ præſtent meliora periti. Nobis videtur Lindani lectio maximè veriſimilis cum Hippocrates ab æthere incipiens totam intercapedinem percurrit, & aëre ſeu (ut ipſe appellat) ſpiritu plenam eſſe demonſtrat. Sic cum de Sole idem probavit, mox mare ſubjungit quod & illud μέθεξιν ἔχει τοῦ πνεύματος argumentis à poſteriori petitis confirmat. Hinc rationi magis conſonum ad terram deſcendere quam ad Lunam retro ſaltum facere videtur, ita ut concludat in terra velut infimo aëris loco, quam eum ſuſtinere ceu fundamentum, cujus tamen ipſe vehiculum eſt dicit: Et ſanè hæc ipſa elegans admodum verborum oppoſitio lectionem Lindanianam urget. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, cum juxta Galenum ἐπιμέλεια τῶν ὀνομάτων πολλάκις ἀμέλειαν τῶν πραγμάτων καὶ τῆς ἀληθείας faciat. Itaque in hoc prolixiores eſſe nolumus, controverſia doctioribus pro ingenio decidenda relicta. Noſtræ potius conſiderationis eſt, & ad homonymiam ſpectat, quod præcedente ſectione habet Hippocr. Spiritus nutrire, cum triplex corporum nutrimentum σιτα, ποτὰ, πνεύματα eſſe dicit. Ubi equidem Hippocrates non illos, quos communiter flatus appellant, innuit, quanquam ſubjungit, πνεύματα ἐν τοῖσι σώμασι φῦσαι καλέονται, ſed quos propriè Spiritus Medici nuncupant, corpora ſcil. ſubtiliſſima, penetrantiſſima, & quaſiætherea, quæ alibi ὁρμῶντα appellat, quæque exſplendida, perſpicua nec aſpectabili ſubſtantia conſtant, ut Fernel. Φυσ. *l.* 4. *c.* 2. philoſophatur. Cum enim juxta ipſum Hippocratem corpus noſtrum dividatur in ἴσχοντα, ἐνισχόμενα καὶ ὁρμῶντα, ac proinde triplex ejuſdem ſit ſubſtantia, triplici quoque nutrimento, quo conſervetur, & id, quod abſumtum eſt, reſtauretur, opus habet, *ſolida* quidem, quæ cibo, quem σιτα; *humida*, quæ potu, quem ποτά; *ſpirituoſa* denique, quæ aëre, quem πνεύματα appellat. Et hoc quidem ſenſu aër verè nutrit, ſiquidem in aſſimilatione nutrimenti parti alendæ vera conſiſtit nutritio, omneque alimentum ἀνάλογον & proportionatum eſſe debet. Hoc idem Fernel. *l.* 4. φυσ. *c.* 2. demonſtret, dicens, hujus (auræ prætenuis, quâ Spiritum innuit) fovendæ gratia inſpiratione aërem introducimus, qui non modo corpori refrige-

frigerationem (hæc enim aliunde ſatis poſſet comparari) ſed pabulum quoque ſubminiſtret. Concludit denique idem : ſi nulla in nobis eſſet tenuis & ſpirituoſa ſubſtantia, vix ulla profecto nos ad inſpirandum neceſſitas impelleret. Cæterum vocabulum πνεύματος ſeu ſpiritus pro ipſo quoque reſpirationis actu legitur acceptum, quod ex Hipp. *aph.* 68. *ſ.* 4. Galenus *l.* 2. *de ſympt. cauſ. c.* 2. notavit. Verumenimvero de tali nobis ſermo non eſt, quamvis etiam ſub nomine φυσῶν Spiritus ſupra nominatos Hippocrates fuerit complexus, ſcil. quod illi, velut flatus aut venti per corpus ferantur. Hinc eſt, ut jam ſupra allegavimus, quod dicat ſpiritum in corporibus flatum extra corpora aërem appellari. Ille noſter ſermo eſt, quem Hipp. plurimorum morborum auctorem pronunciat, dum flatus etiam ei eſt cauſa morbifica humores noxios propellens, atque ex una in alteram corporis ſedem commovens : hæc ſanè videtur ratio, quod plurimos morbos à flatibus oriri ſequentibus demonſtret. Scilicet vapor ille, vel quodcunque tandem ſit, & ut ipſe ait, ſpiritus, qui humorem impellit ; hinc quia maxima affinitate gaudet cum vento ac flatu, cumque ſine illo materia morbifica decumberet, nec ita liberè in partem aliquam, cui ex diſſito fonte irruit, derivari poſſit, meritò & ſummâ ratione Hipp. cauſatur flatum, plurimos morbos vel foventem vel procreantem. Elegantiſſimè Gal. *l.* 2. *de arte curat. ad Glauconem*, diſcrimen inter ſpiritum & flatum expreſſit, hunc ſcil. illi, qui in auſtrinis conſtitutionibus turbidus eſt, aëri flatuoſum aſſimilari : ei autem qui in aquilonaribus ſerenus eſt, ſimilem eſſe illum, qui ſecundum naturam nobis ineſt, ſpiritum, tenuem atque æthereum. Sed de ὀνοματολογίᾳ dicta ſufficiant, ergo ad πραγματολογίαν.

QUÆST. III.

Quid flatus ſit, & quomodo definiatur?

DEfinitur flatus à Fieno, *tract. de flat. c.* 3. quod ſit *multitudo halituoſi ſpiritûs ex cibo ac potu, humore pituitoſo aut melancholico ab imbecillo calore in animalis corpore excitus.* Verum, cum flatus corpus ſit, non video rationem, qua per accidens definiri poſ-

ſet. Ibidem Fienus Galeni definitionem rejicit, quod, ut Dialecticé loquatur, non ſit convertibilis cum ſuo definito, verum hoc idem de ipſius dicere quis poſſet. Si enim dicendum, quod res eſt, flatus multitudo halituoſi Spiritus non eſt, ſed ex ejusdem collectione oritur. Verum ne temerè ita Fienus definiviſſe videatur, ſubjungit, varios vapores ex cibo & potu in ventriculo contentis alio exhalare, quos tamen flatus & dici & eſſe negat: exemplum reddit de ebriis, itemque de iis, qui ſuffuſione ex conſenſu ventriculi orta laborant: Veruntamen, ſi rem accurato examini ſubjicimus, nullas, quæ nos prohibeant, quin vapores illi flatus dici queant, videbimus rationes. Et ſi maximè nulla nobis ſupereſſet ratio, unius Hippocratis veneranda auctoritas valeret, quæ hanc probat appellationem. Sed pergit Fienus definitionem Galenicam refutando, ex cauſarum enumeratione argumenta petens, quod ibi tantùm pituitoſus humor recenſeatur, cum æquè melancholicus in præcordiis flatum excitare valeat. Verum enimvero videtur excuſari poſſe Galenus, ſi per pituitoſum ſuccum ipſum eum humorem intellexiſſe dicamus, qui ſpiſſitudine & craſſitie pituitam æmulatur: quam quidem excuſandi formulam ipſe ſubminiſtrat, cum pituitoſum ſuccum, Græcè χυμὸν φλεγματώδη, non vero pituitam ſcripſerit. Verum de his plura infra in cauſis. Progreditur porrò Fienus definitionem ſuam defendendo, propterea multitudinem dicere inquiens, *quod levis halitus aut vapor, à quibus nunquam corpus etiam optimè conſtitutum, immune eſt, nullo modo flatus dicatur, aut ullum inflationis ſenſum præbeat.* Hoc verò non excuſat ipſum definitionis genus. Maximè pro excuſando Fieno ſtabit communis Medicorum mos de ἀκριβείᾳ Philoſophica parum ſollicitorum: inſuper quoque titulus tractatui præfixus de flatibus, ſcil. humanum corpus moleſtantibus pro auctore loquitur. Ut autem flatus rectè definiatur, cenſemus cum Galeno eſſe πνεῦμα ἀτμῶδες ἐν τοῖς κατὰ τὴν γαστέρα χωρίοις χυμῶν τινων αὐτόθι φλεγματωδῶν ἢ σιτίων εἰς ἀτμοὺς λυομένων ὑπὸ θερμότητος ἐνδεοῦς, *halituoſum Spiritum ex ſuccis quibuſdam piiuitoſis, vel cibis inibi à deficiente calore in halitum mutatis* (ita quidẽ habet verſio Linacriana) Expreſſam equidem eam definitionem Galenus non ipſe recenſet, ſed quæ facili negotio ex ejus dictis

dictis poteſt colligi. Paulò aliter Fienus *l. c.* eam proponit dum ait, *Flatus eſt vapor ab humore pituitoſo, cibo aut potu ab imbecillo calore excitatus.* Utut ſit, modo ſub ſucco pituitoſo humorem lentum & viſcidum comprehendamus, optimè hæc ſtabit Galenica flatûs definitio, ut eam noſtram quoque facere minimè erubeſcamus.

QUÆST. IV.

Quæ flatûs ſint cauſæ, & quomodo oboriatur?

QUæ flatum excitare valeant, jam ex parte dicere cœpimus. Variæ illæ verò ſunt & multiplices cauſæ. Inter primarias effectrices eminet calor, flatui producendo proportionatus, quem dicimus, qui remiſſus eſt, & quem Galenus ἐνδεῆ deficientem appellat. Medius nempe inter calorem fortiorem & frigus, qui aliàs teporis nomine venit. Sincera quippe frigiditas, eodem Galeno teſte, halitum non facit, quod ſcil. ea omnino nec attenuat, nec conficit, nec alimentum diſſolvit. Sic nec vegetus calor, perinde ut frigus flatum progenerare valet, cum longo intervallo nutrimentum ſuperet, atque amplius quam pro halitu generando, id attenuat. Haud ſecus ac æſtivus calor & brumale frigus aërem purum, mixtum verò tempus turbidum reddit ventoſum ac nebuloſum. His tamen non omnino negamus, tùm calore, tùm frigore exceſſivo flatum oriri poſſe: ſiquidem humoribus flatulentis quodvis accedens, quod qualicunque reſolvendi ac propellendi vi pollet, flatum excitare valebit. Dico autem excitare; nam excitatio & generatio flatuum videntur omnino eſſe diſtinguenda. Sennertus *l.* 1. *prax. Med.p.*1.*c.*6. cauſas flatum generantes ad binarium numerum reducit, dum unam ſtatuit agentem, alteram materiam. Agentem, ut omnes cum Galeno, ait, eſſe calorem imbecillem, qui materiam rarefaciat, diſcutere verò nequeat. Id ipſum quoque Fernelius *l.*2. *Pathol. c.*19. confirmat, dum flatus copioſos ab omni caloris imbecillitate exſuſcitatos ſcribit. Nec alienus ab hac ſententia Riverius eſt, *Inſt.l.*3.*ſ.*2.*c.* 14. dicendo, flatuum copia generari ſolet ex materia cruda & craſſa, à calore debili alterata.

terata. Verum quod Sennertus de debili calore flatûs productore aſſeruit, rectè accipiendum eſſe monet *Inſt. l. 2. p. 2. c.* 8. addens: Etſi calor nimius flatus & vapores diſſipat, atque abſumit: nimium vero frigus vix ullum vaporem & flatum excitat, ut quod materiam reſolvere non poteſt, nihilominus tamen ſæpè magnus eſt calor, qui flatus producit. Allegat poſtmodum Galenum, ſed minus accuratè, de longè alia materia ſcil. de curatione dolorum ex flatu ortum trahentium ibidem occupatum. Sed ut ad efficientem flatûs redeamus, diſtinguit Sennertus, calorem duobus modis debilem dici poſſe, primo ratione ſuæ naturæ: deinde ratione materiei. Ratione materiei debilem calorem illum nominat, qui, etſi aliâs ſatis fortis ſit, tamen à tanta copia obtruitur, & opprimitur quaſi, ut eam totam vincere non poſſit, quam quidem diſtinctionem ex Fieno *c.* 5. hauſtam pro excuſando Galeno admittere poſſumus. Utut ſit, humor aliquis craſſus non ſecundas in producendo flatu occupat, cum & calor & frigus absque ſubſtrata materia nullnm per ſe flatum generare queant. Hinc merito in illum inquirendum eſt, quem communi loquendi formula Medici materiam appellant. Ille vero humor quidam craſſus eſt, viſcidus, & lentus, plerumque frigidus, melancholicus vel pituitoſus. Hic enim dum lente admodũ movetur, & diuturnam in corporis cavitatibus moram ducit, nequit, quin multum aëris admittat, qui non æquè, ut alibi, ubi humor vel calidior, vel tenuior, & hinc via magis operta eſt, ob lentorem, velut obicem objectum penetrare poteſt, nec à calore robuſto diſcutitur atque reſolvitur, quin potius à contrario frigore condenſatur. Patet ex dictis quoque materia ex qua flatus propriè conſtat, quam tùm aër ambiens, tùm modò nominatus humor in halitûs reſolutus, tùm alimenta flatuoſa ſubminiſtrant. Aërem verò ſeu corpus aëreum materiam flatûs eſſe, & *ἀναλογία* ſubſtantiæ, & temperies, & motus, aliaque accidentia demonſtrant. Ingreditur aër variis modis noſtrum corpus, inſpiratione per vaſa & ductus manifeſtos, per poros item, & cœca cutis ſpiracula, manducatione quoque & bibitione multùm aëris intrò ſubit, & hoc quidem modo in interiora corporis exceptus ut plurimùm in flatum convertitur. Cum

enim

enim eſus & potus motu locali conſtent, qui ſine propulſione & concentratione aëris in anguſto, quod gula eſt, perfici nequit, neceſſum omnino, multum ibi aëris colligi, atque unâ cum cibis in ventriculum detrudi; quod idem etiam demonſtrat flatus & ructus eſum avidiorem ſubſequens, nullam aliam ob cauſam interius corpus exagitans, quam quia velociori & crebriori deglutione plurimus aër in ventriculo fuit congregatus. Idem quoque Hippocrates *l.*2. *περὶ ἀρρ.* *ſ.* 7. demonſtrat, cum victu peccantem, cui à Medico inedia imperata eſt, flatibus peccati commiſſi ipſum proditorem eſſe teſtatur. Aërem vero hoc modo in corpus receptum præcipuè materiam flatuum eſſe, alibi etiam Hippocrates agnovit, dum *l. de flat. ſ.*10. ait: quando corpus cibis repletum eſt, ac ſpiritûs quoque multitudo vehementer excellit, dum cibi ventri diu immorantur: immorantur autem cibi, quum præ multitudine exire nequeant, & inferior venter ſit obturatus, ἐς ὅλον τὸ σῶμα διέδραμον αἱ φῦσαι. Ex quibus liquet, Hippocratem aërem uberiorẽ cibo potuque hauſtum per *πλησμονὴν πνεύματος* velle intellectum. Præterea cibi præ multitudine exire nequeunt, quia plurimus & congregatus aër illos retrò pulſat, perinde ut liquorem in vaſe repleto, cui auguſtum eſt orificium. De cauſis externis flatuum, ut aliquid addamus, operæ quoque pretium videtur, inprimis, cum jam ex parte cœpimus. Aërem igitur ſi primum conſideremus, cum turbidus eſt, nebuloſus, ac frigidus, in flatuum generationem maximè conſpirare deprehendimus. Hinc regionum Septentrionalium incolæ magis præ cæteris huic malo obnoxii: hinc & hyeme atque auctumno magis, quam cæteris anni temporibus corpus à flatibus infeſtatur. Ratio videtur, quoniam frigus circumſtans poros occludendo halitus atque vapores, quos alias natura per commune corporis emunctorium ejicere ſolet, exitu arcet, illosque in interiora repellit. Sed & in calidis regionibus flatus, at per accidens, homines vexant, videlicet ob evocatum ab ambiente calorem nativum, atque hinc debilitatum generati. Quoad alimenta, illorum jam generatim quoque mentionem injecimus; reſtat, ut paucis qualia illa ſint, explicemus. Sunt vero ex Gal. *l.*2. *de al. fac. c.* 2. omnia fructuum fu-

gacium genera, quæ vel craſſioris ſunt ſubſtantiæ vel frigidioris temperamenti, ut rapæ, teſte Gal. *l. 2. de al. fac. c. 62.* palmæ *c. 26.* faba, lupinus, phaſeolus, *l. de atten. vict. rat. c. 7.* ficus, *c. 12.* & id generis innumera alia. Huc quoque pertinent inter alia ciborum genera carnes ſalitæ & fumo induratæ, ſolidiores quoque & quæ ſunt magis compactæ. Piſces item omniaque edulia frigida. Uno verbo, omnia alimenta, quæcunque ſint, quæ vocantur *δύσπεπτα.* In quibus enarrandis prolixè occupatus eſt Fienus, *c. 8.* Itemque, qui ſigillatim ac brevius recenſet, Aur. Corn. Celſus *l. 2. c. 26.* In his enim omnibus, quod tenue eſt, caloris vi diſſipatur, remanente eo, quod craſſius. Ex hoc verò, cum calor illud non poſſit perfectè reſolvere, atque concoquere; multos halitus reſultare eſt neceſſe. Hipp. *l. de vict. ac. ſ. 19.* multa alimentorum genera maximam ventriculo flatibus vim inferentia, nobis inuſitata recenſet, inter quæ placet meminiſſe mazæ: quam Athen. l. ιδ. dicit fuiſſe *δημοτικὴν καὶ κοινὴν τροφὴν τὴν ἐκ τῶν ἀλφίτων*, popularem & communem cibum ex farinis, ſed poſtea *ἀκολάστως καὶ περιέργως* variatum *ματτύην* nuncupatam fuiſſe. De pane vero Hippocrates ait, eum humidum & calefactum maximè flatus efficere, quod quidem eam ob rationem dictum videtur, quòd tum magis tumefiat in corpore. Ex quo apparet, quæ ex polenta parantur alimenta flatibus gignendis admodū eſſe idonea. Quod potum attinet, aqua frigida haud rarò flatûs eſt effectrix, ut & cereviſia recens, nec probè cocta, ut quæ fere nil aliud, ſi Taciti verbis *l. de morib. Germ.* utamur, quam humor ex ordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Mulſa item, juxta Hipp. *aph. 41. ſ. 5.* & vinum, quod appellant *ὀλιγοφόρον*. Lac quoque ex *aph. 64. ſ. 5.* Item ptiſanæ aqua multa ſuperbibita, teſte eodem Hippocr. *l. de vict. acut. ſ. 27.* cujus rei Galenus *comm.* rationem reddit, quod ptiſana tardius deſcendat. Itemque aqua vel quilibet potus intrà paſtum, aut paulo poſt cibum ſumtum bibitus, qui flatus excitat, dum coctionem ventriculi vitiat, non aliter, ac in lebetem ferventem aqua vel alius quiſpiam liquor infuſus elixationem perturbat, cum juxta Ariſtot. *meteor. l. 4. c. 3.* τῆς τροφῆς ἐν τῷ σώματι πέψις ὁμοία ἑψήσει ἐστίν. Huc quoque facit peccatum, quod in tempore, ordine, & quantitate

titate ſumendi cibi committitur, ut ſi cibus aut potus ingeratur, priore nondum confecto, & quæ ſunt alia : e. g. Obſopœorum negligentia, qui interdum cibos nondum ſatis coctos & crudos in menſa apponunt. Si porro res nonnaturales percurramus, & à motu, & à quiete flatus excitari poſſe deprehendemus. A motu quidem, ſed vehementiori, & penetralia corporis exagitante. A quiete verò nimia anſam flatulentis humoribus præbente, alvum indurante, & conſtringente, importunâ quoque à cœnâ, ſcil. juxta illud Hipp. *l.* 2. προῤῥ. *ſ.* 8. Etenim juxta ejusdem *l.6.Epid. ſ.* 4. ἄσκησις ὑγείης ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, *ſanitatis ſtadium eſt non ſatiari cibis, ac impigrum eſſe ad labores.* Sic & à ſomno & vigiliis, ſi modum exceſſerint proficiſci, credendum eſt. Somnus enim nimis, quam decet, uſurpatus calorem obruit, ventriculum torpidum reddit, hinc concoctiones ſegnes, unde humores viſcidi, ex quibus flatus. Vigiliæ vero nimiæ corpus exſiccant, humores incraſſant, calorem exhauriunt, unde multæ ſcaturiunt cruditates, quæ flatibus aptiſſimum fomitem ſubminiſtrant. Quod quintum rerum non naturalium genus attinet, nempe excretorum & retentorum, tam multum illud ad flatus generationem facere manifeſtum eſt, ut verbis explicare non ſit neceſſum. Sed nec ultimo loco animi pathemata à flatus productione abſunt. Quinimò timor, calorem ad cor retrahendo, flatui extremas partes exponere videtur. Ut & triſtitia, quæ calorem nativum imminuit, totumque corpus refrigerat, quo refrigerato humoribus frigidis, atque ex iis flatibus eſt proventus.

QUÆST. V.

Quæ flatûs ſint ſigna?

INdagatione ſignorum in cognoſcendo flatu ſæpiſſimè opus non eſt, cum ipſe ſeſe quandoque prodat vel tactui dolore, vel ſonitu auditui. Cæterum quæ ἀναμνηστικὰ vocamus, maximè patent ex ſupra memoratis cauſis : à quibus interdum etiam diagnoſtica promanant. Effectus quoque fontem, ex quo ſigna hauriamus, aperiunt, quos diſſerta-

tionis hujus quæſtio nona recenſet. De dolore tamen hîc aliquid dicendum. Dolor, quem ſupra flatum indigitare diximus, plerumque eſt tenſivus, rariùs gravativus, vagus, neque fixus aut ſtabilis. Subitaneus ut plurimùm nec diu durans, niſi maxima flatuum adſit copia, vel iiſdem generandis materiæ ubertas. Occupat ille dolor varias humani corporis partes, quas quæſt. VII. de loco generationis flatuū exponit. De ſonitu, quem interdum edit, & quid is portendat, ſequens de differentiis loquitur. Ex actionibus corporis noſtri præter ſenſitivas animalis imaginatrix ſigna flatûs ſubminiſtrat, dum per inſomnia rerum celeriter currentium, aut volitantium, ut & fontium commotorum imagines obverſantes, auctoritate Hippocr. *l. de inſomn. ſ.* 13. flatibus abundans corpus arguunt. Quoad prognoſtica maxima ſæpè mala homini præſagit, ac minatur, quod inferius conſignati affectus demonſtrant. Eſt tamen & flatus, qui bona corpori pollicetur in recentibus præcordiorum doloribus ac tumoribus abſque inflammatione, teſte ipſo Hippocr. *l. prognoſt. ſ.* 10.

QUÆST. VI.

Quotuplex ſit flatus, & quæ ejus ſint differentiæ?

VAriant plerumque res ratione cauſarum à quibus dependent. Hæ quippe pro ſui varietate varium quoque reddere queunt effectum. Sic flatus quoque diverſus obſervatur prout cauſa, vel movens, vel generans diverſo ſe habet modo. Etenim modo rarior eſt, modo frequentior, modo vehementior, modo remiſſior, nunc phlegmaticus, nunc melancholicus, interdum etiam bilioſus. Eſt & flatus, Medicè loquendo, vel materialis, vel immaterialis, ille, qui ob humoris alicujus præſentiam generatur; hic, qui abſente etiam humore tantùm ab aëre aggregato exſuſcitatur. Sed non tantùm ratione cauſarum multiplex flatus eſt, verum etiam locus, aliaque accidentia & adjuncta varium eſſe flatum oſtendunt. Locus enim in cor-

pore noſtro, in quo flatus vel generatur, vel quem generatus perreptat, vel denique per quem excernitur, non ſemper idem eſt, dum nunc ſuperiora, nunc inferiora occupat. Imò interdum (ut ita loquar) univerſalis adeſt flatus, qui totum percurrit corpus, uti teſtis eſt Hippocr. ſupra allegatus. Hinc eſt, quod etiam diverſa nomina fuerit ſortitus, ſi enim inquit Galenus, *l.3. de ſympt. cauſ. c. 2.* per os excernitur, ἐρυγὴν, ructum creat, ſi per ſedem, ἤτοι ψοφοῦσαν ἢ ἄψοφον φῦσαν, ſonorum ſilentemve flatum, cum verò neutra parte emittitur, ſymptoma efficit, quod ἐμπνευμάτωσιν inflationem vocant. Sed in differentiis flatûs occupatus Galenus altius progreditur, eumque ratione aliorum adjunctorum ſoni ſcil. accuratius diſtinguit. Quæ quidem diſtinctio prima fronte non admodùm magni videtur eſſe momenti, veruntamen quia nos in cognitionem partis affectæ, atq; cauſæ deducit, non ita ſicco pede prætereunda videtur; inprimis cum ſimul exponat, an cum materia aliqua humore ſcil. ſit conjunctus, an verò ejuſdem ſit expers. Ait Galenus, inteſtinorum alias partes, ubi talis ſpiritus in iis conſtitit, ac movetur, multiformes edere ſonitus: non omnes verè nomina eſſe ſortitos. Attamen prudenti Medico ſigna eſſe poſſe, quale quantumque excrementum ſit, cujus qualitatis, ac quo maximè loco volvatur. Acutum quippe & tenue ſonantem per vacuum & prorſus anguſtum inteſtinum deferri, ſiccum atque tenuem, & Græcis τειγμὸν ſtridorem, ſuſurrum, à τείζω quod eſt ſtrideo, appellari idem Galenus *l. c.* auctor eſt. Murmurillus ille Latinis dicitur, ſi alicujus particeps eſt humiditatis. Sed Galenus pergit, dicens flatuoſiorem redditum ſimiliter quidem ſonum edere exiguum, cum in tenuibus inteſtinis volvatur, ſed nec prorſus acutum, nec tenuem. In quantum autem ad alia inteſtina tenuia deſcendat, in tantum eſſe minus ſonorum, quoniam tum impetus ejus magis magisque decreſcit, tùm quod nullum, quod illi tranſitum deneget, occurrat obſtaculum. Secus ſe habere, qui inteſtina craſſa perflent, murmur & rugitum Græcis βορβορυγμόν edentes, hinc βομβώδεις appellatos. Rugitus hujus cauſa videtur materiei craſſities, quæ flatibus impulſa non æquè ut tenuibus inteſtinis cedit, ſed paulum reniti-

 tur, hinc

tur, hinc fit, ut flatus in ſe recurrens in ampliori ſpatio, quod inſigne ſatis inteſtinum colon obtinet, talem edat ſonitum. Alias equidem adhuc Galenus differentias recenſet, ſed præcipuas allegaſſe ſufficiat. Ratione aliorum adjunctorum diverſus quoque flatus in corpore noſtro obſervatur. Ac primò quidem prout impetuoſius vel tardius movetur, vel generis nomen retinet, vel vapor & halitus dicitur. Quam differentiam quoque materiæ ſubſtratæ temperies ſubminiſtrat. Siquidem flatus ex humoribus frigidis craſſis & viſcidis ac glutinoſis elevantur; vapores verô & à frigidis humoribus, & à calidis ſanguine & bile excitantur teſte Sennerto *prax. Med. l.* 1. *p.* 1. *c.* 6. Addi omnino videtur Fienus *comm. de fl. c.* 6. alias quaſdam adhuc flatûs differentias exponens.

Quæst. VII.

Vbinam locorum in corpore humano flatus maximè generetur?

QUodlibet naturale corpus ſuum generationis locum, ex quo promanet, obtinuit à natura. Hunc etiam flatui conceſſum ſequentia demonſtrabunt. In genere ſi dicamus, τὸ κοῖλον eſt, ſeu cavum, in quo colligatur, ut inde ad alias feratur partes. Patet hinc, quam multus ei in corpore humano ſit locus, cum totum cavitatibus ſit perſpirabile. Verum enim verò maxima ex parte flatuum productor & collector videtur ipſemet ventriculus, Fieno propterea minera flatuum vocatus. Hic inſuper ampliſſimum in toto corpore eſt cavum, unde nec immertò Græcis κοιλία vocatus. Sed nec in hoc ventriculus diſſimilis eſt terræ, cui aliás ob alimoniam, qua corpori proſpicit, comparatur ab Ariſtot. *l.* 4. *de part. animal. c.* 4. Quippe quæ ventorum in macrocoſmo præcipua eſt machinatrix. Hic enim juxta eum, quem ſingulis momentis per gulam os confert, primus aërem cibo potuque corpus ingreſſum excipit, atque colligit, collectumque vaporibus exhalantibus auget, quos prout conſtitutus eſt, nunc magis, nunc minus reſolvit in flatus, donec multitudine gravatus, perinde ut alia, quæ ſibi moleſta ſunt vel deorſum ad inteſtina,

vel

vel ſurſum ad gulam & os, ablegat. Diximus ventriculum generare flatus nunc magis, nunc minus, prout conſtitutus eſt, hoc verò tùm de ejus, qua dotatus temperie, tùm de robore naturali, quo pollet, volumus intellectum. Niſi enim ambabus his inſtructus eſt dotibus facillima flatui eſt generatio. Siquidem frigidior ejus temperies, uti jam dictum, flatuum parens eſt fœcundiſſima. Et quamvis naturale ejus robur alimentis ſubigendis par eſſet, tamen ab intemperie præpeditum flatus ex cibis exhalantes abſumere nequit. Ex altera parte, licet ventriculo ſatis ſit caloris, ut vel illo abundet, niſi tamen virtus naturalis adſit, calor reſolvet alimenta potius in flatus, qui poſtmodum totam turbare poſſunt concoctionem. Ex dictis ergò apparet maximas in producendo flatu partes habere ventriculum. Juxta hunc primum merentur locum inteſtina, quæ quidem interdum à ventriculo progenitum excipiunt, exceptumque augent, ſed non raro quoque de novo flatum procreant. Cum enim abſolutioni concoctionis ſuperiora dicata ſint, & defæcationi ſucci nutritii inſerviant, non poſſunt, quin flatus, ſiquidem non bene ſe habeant, ut ſupra de ventriculo dictum, progenerent. Nec de inferioribus aliter dicendum puto, quin ea potius producendo flatui aptiora eſſe, videtur, aſſerendum, tùm ob ſpacioſiorem, qua prædita ſunt, cavitatem, tum ob contentorum, quibus infarcta ſunt, craſſitiem & multitudinem. Accedit quod plurimos à ventriculo & ſuperioribus inteſtinis ablegatos excipiant. Cum enim deſcenſus contentorum, qui tamen lege naturæ neceſſarius eſt, motu locali conſtet, perinde ut in farcimine flatus congregabitur. Verum non fruſtra quæritur, utrum & in aliis corporis partibus generari vel colligi flatus queant? Ad quod quæſitum affirmando reſpondetur, ſi quod ſupra fecimus, locum flatuum generativum τὸ κοῖλον ſc. omnè cavum ſtatuamus. Hoc certum eſt, teſte Galeno, *l. 2. de art. curat. ad Glauc. cap. 6.* ſpiritum iſtum craſſum & vaporoſum nonnunquam ſub membranis, quæ integunt oſſa, comprehendi; nonnunquam ſub peritonæo; aliquando intra ventrem; complecti aliquando & intra tunicas, quæ muſculos inveſtiunt; ut & à membranoſis tendonibus; coërceri quoque in iis; quæ ratione cognoſcuntur,

ſpatiis.

ſpatiis, in muſculis, aliisque corporis partibus: quòd prodat, quod muſculus non raro infletur. Imo hoc ſatis ſpaſmus flatulentus confirmat. Si cæteras humani corporis partes addendo perluſtremus, in cerebro atque intra ejus meninges flatus collectos capitis dolores frigidi arguent, ab inferioribus partibus ventriculo præcipuè, in mulieribus haud raro ab utero exuſcitatos. Qui ipſe quoque flatuum generationi locus eſt aptiſſimus, cùm ſaburra vitioſorum humorum, quibus interdum interior ejus cavitas ſcatet, ejuscemodi vaporum genitrix eſt fertiliſſima. In cavitate quoque thoracis & intra ejusdem membranas flatus & generari, & colligi, tùm pleuritis ſpuria ſive laterum dolores à flatibus oriundi, & difficilis reſpiratio, eorundem quoque interdum ſoboles, demonſtrant. Imò in ipſis quoque venis, quæ tamen ſanguinem humorem calidiſſimum in ſe ſe continent, flatum colligi, Ampiſs. Dnus. D. Sebizius *Exercit. Pathol. p.* 105. auctor eſt, idque ob debiliorem calorem, quem crudi & phlegmatici humores membranoſæ earum naturæ inducunt. Quod idem quoque, ut in cæteris omnibus eventus declaravit, ſcil. tanta vaſorum deductio, ut ſanguis inde effuſus αἱμόπτυσιν procreaſſe fuerit obſervatus. Quod vero magis adhuc mirandum, eſt, quod in pericardio & ipſo corde nebuloſus, flatuoſusque detineri Spiritus poſſit, quod Maſſarias *Pract. Med. l.* 2. *c.* 8. & Fien. *tr. de fl. c.* 10. teſtatur. Vicinum quoque pulmonem, qui alias continuo perflatus aëre, præter naturam quandoque flatus coarctione affici auctor eſt Fernel. *l.* 5. *de part. morb. & ſympt. c.* 10. Transgreſſo diaphragmate, ſi inferiorem ventrem repetamus, præter illas, quas ſupra enumeravimus, partes flatibus, quandoque affligi obſervabimus. Hepar ſcil. frigida intemperie laborans, & craſſis ſcatens humoribus. Lienem item, qui inter omnes humani corporis partes frequentiſſimè flatibus tentatur, vel aliunde ad illum derivatis, vel propter viſcoſitatem humoris quo turget ibi generatis. Declarat id ipſum præter alios affectus lienis tumor flatuoſus, quem Gal. *l.* 2. *de art. cur. ad Glauc. c.* 5. ſola curat flatuum diſcuſſione. Occupant quoque interdum flatus veſicam, atque urethram, idque vel propter lentum humorem ibi hærentem, vel propter calculum atque arenulas

meatus

meatus urinarios oppilantes, collecti aut à debili ibi calore procreati. In ſcrotum quoque ac teſtes flatum delabi, ac illorum tunicas cum maximo dolore divellere, obſervatur. Cum itaque flatus per totum ferantur corpus, ſummo quoq; jure, quod Hippocrates *l. περὶ φυσῶν ſ. 5.* de Macrocoſmo protulit, Microcoſmo applicare poſſumus, ſcil. ἅπαν πνεύματός συμπλέον ἐστί.

QUÆST. VIII.

An flatus in rerum præternaturalium numero ſit, & ſi hoc eſt, ex quonam affectuum p. n. genere?

SI omne in corpore humano, quod legibus naturæ provenit, & ſemper adeſt, naturale appellare licet, hoc ipſo jure flatum aliquem ad naturales res reduci poſſe exiſtimamus. Illum ſcil. qui nullam corpori moleſtiam infert, ſed potius uſum largitur. Hic vero eſt aër, variis modis in corpus receptus. Qui quidem juxta ſummam, quam ſpirituum generatione, nutritione, & refectione, præbet utilitatem, alio quoque modo corpori inſervit, humores nutritios ſcil. agitando & impellendo. Si enim noxios morboſosque humores flatus propellere, eosque agitando, morbum aliaque incommoda producere valet, qnid nî iisdem viribus in bonum laudabilemque ſuccum movendum inſtructum eum eſſe affirmabimus. Hippocrates *l. de flat. ſ.* 11. hoc ipſum quoque demonſtrat, dum horrorem febrilem deſcribens, flatu in interiora corporis ſanguinem agi ait, & tandem ita concludit αὗται μὲν οὖν αἱ ἄλλαι : hi enim ſunt ſaltus, ſcil. ſanguinis. Idem ſeroſo excremento, maximum aſſignat uſum, dum ὄχημα τῆς τροφῆς appellat. Hoc vero flatui elogium majori videtur jure competere, longè tenuitate ſerum ſuperanti. Et ſane quilibet ſe ipſum intuens, ut idem aſſerat, cogetur. Quomodo enim ſanguis corpus graviſſimum naturaliter aſcendere poteſt, niſi ab aëre vel flatibus impulſus, & quid ille ſpiritus, quem dicunt naturalem, aliud, quam flatus purior & correctus? quid vitalis, quam adhuc purior, ſubtiliorque? quid animalis, quam ſubtiliſſimus, & ut ita dicam maximè exaltatus? Ex dictis elucet, quod flatus Hippocratéo modo loquendi ſit res na-

turaliſſima. Sed & alius adhuc adeſt flatus, qui rerum naturalium album meretur; vapor ſcil. ille benignus, qui ſpiritus animales ſiſtendo in dulcem convertit lumina ſomnum. Verum enim verò, cum uſus in foro Medico obtinuerit, ut non niſi humano corpori moleſtus flatus dicatur, ea ratione omninò in rerum præternaturalium numero erit collocandus. Morbus autem non eſt, niſi ita morbi vocabulo ludere velimus, ut cum Hippocr. *l. de flat. ſ.* 2. dicamus : Ὅτι ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο καλέεται νοῦσος. Sed morbum, vel procreat, vel comitatur. Hinc vel morbi cauſa eſt, vel ſymptoma. Cauſam morbis eſſe plurimis infra demonſtrabitur quæſtione ſequenti. Symptoma eſt ex genere ſymptomatum mutatarum corporis qualitatum ſenſibilium. Eſt quoque ex excretorum & retentorum genere. Inſequitur autem flatus vel morbum, & hinc ſymptoma morbi eſt, vel cauſam morbificam, & hinc ad ſymptomata cauſarum ſpectat, vel denique aliud ſymptoma, quare & ad ſymptomata ſymptomatum refertur.

Quæst. XI.

Quorum præcipuè morborum flatus cauſæ ſint effectrices?

PLurimos à flatibus promanare morbos jam ſupra diximus, tot autem ſunt, ut Hippocr. *l. de flat. ſ.* 6. non erubuerit, in hæc erumpens verba : ἐπιδείξω τὰ νοσήματα τούτου (πνεύματος) ἀπόγονά τε καὶ ἔκγονα πάντα ἐόντα : Demonſtrabo morbos hujus (ſpiritûs) poſteritatem & ſobolem omnes eſſe. Nos veſtigium Hippocratis ducentis inſequentes primùm morbos juxta ſeriem, quantum licet, ab ipſo propoſitam percurremus, poſtea ſi quæ omiſſa videbuntur, addemus. Primus inter morbos, quos à flatibus oriri Hippocrates ait, eſt febris, quam duplicem ibidem ſtatuit, communem, peſtem appellatam, (qua contagioſam intelligere videtur) & privatam, quam quis mala diæta acquirit. Utriuſq; ait aërem auctorem, ſiquidem Hippocrati, ut jam dictum, perinde eſt ἀὴρ, φῦσα καὶ πνεῦμα, aër, flatus, & Spiritus: uti Galeno quoque æquè latè patent halitus, Spiritus halituſus.

&va-

& vapor: ut Fienus *comm. cit. c.* 4. demonſtrat. Febris peſtilentialis & contagioſæ aërem potiſſimam cauſam eſſe, nemo eſt, qui ignoret, utpote morbi alicujus communis, in quo producendo ut plurimum aër primas partes occupat. Sed nec ineptè febris peſtilens à flatu produci dicetur, ſi per eum vaporem illum ſeu auram malignam μιάσματ@ λοιμώδες vehiculum intelligamus. Ejus quoque, quæ à mala proficiſcitur diæta, cauſam flatus eſſe, eleganter demonſtratur; Cibus enim copioſior & avidius ingeſtus multum in corpus aërem trudit, multosque vitioſos ex ſe halitus emittit, præſertim ſi mali ſit ſucci, difficilisque concoctionis. Emiſſi vero ex cruditatibus flatus totum corpus perreptant, & ad ambitum corporis delati propulſo ad penetralia ſanguine, partibus frigefactis (*aph.* 17. *&* 20. *ſ.* 5.) horrorem atque rigorem inferunt febrilem: quem quidem nunc magis nunc minus excitant, prout ipſorum copia vel major vel minor exiſtit. Horrorem illum excipit tremor, à debilitato genere nervoſo, cui juxta *aph.* 18. *ſ.* 5. frigus eſt inimiciſſimum, ut & à vehementi generis muſculoſi concuſſione ortus, quod, veluti velamine quodam circumſeptus, erupturus ita divellit, eodem ferè modo, quo ventus viſceribus terræ incluſus, eius ſuperficiem erupturus tremulo motu conquaſſat. Elegantiſſimè, quomodo tremor oriatur, explicat Fienus *tr. de flat. c.* 2. Demonſtrat quoque horrores & tremores in febribus ut plurimum à flatibus oriri invadendi modus, qui præceps eſt & ſubitaneus. Demonſtrat idem quoque oſcitatio, quæ crebra paroxyſmos febriles præcedere ſolet, utpote, quæ nihil aliud eſt quam flatûs per os emiſſio. Hippocrates flatum quoque febrilem calorem juvare aſſerit, cum eum per ſanguinem calefactum, accenſum, ac velut igneum redditum calorem illum præternaturalem per omne corpus diffundere ſcribit. Et ſanè, ſi verum fateri volumus, longè alius in febribus eſt Spiritus accenſus, quam qui naturæ lege alias ex benigni ſanguinis vitalis halitibus, & aëre inſpirato ac in pulmonibus depurato gignitur. Sed & hoc ſudor acceſſiones febriles inſequens ſatis edocet, ibi enim halitus iterum in aquam coagulatur, & calore propellente per poros cutis ſub ſpecie ſudoris excernitur, haud ſecus ac aër ſeu

 halitus

halitus in conclavi calefacto, & occluſo. Capitis quoque doloribus, febrem comitantibus, flatum adeſſe Hippocr. clarum facit, utpote à nimia repletione & diſtenſione membranarum ortis. Replentur autem à multitudine ſanguinis, quam flatus eò pepulerunt, ab his verò diſtenduntur. Hoc prodit quoque durior pulſus circa tempora obſervatus, cum ſcil. vel ſanguis à flatibus impulſus impertuoſius in arterias ruit, vel cum iis pulſandi locus ob partes vicinas diſtentas atque turgidas non eſt ſufficiens. Frequenter quoque capitis dolores à flatibus ortos citra febrem obſervamus, præſertim frigidos, nullam aliam ob cauſam tantopere cerebrum doloribus exagitantes, quam propter tunicarum atque meningum cerebri diſtenſionem. Sed nec calidis capitis doloribus interdum flatum abeſſe, quæ modo de Cephalalgia febrem comitante diximus abunde probant. Verum ut ad Hippocratem noſtrum redeamus, pergit is, plurium ventris dolorum flatus cauſas arguens. In quo quidem demonſtrando prolixus admodum non eſt, cum ex rei veritate, dicat ἅπασιν φανερὸν εἶ). Sunt autem illi εἰλεοί, εἰλήματα, ςρόφοι καὶ ἕτερα ἀποςηρίγματα, volvuli, agitationes inteſtinorum, tormina & ſimiles aliæ infixiones. Quibus equidem omnes inteſtinorum, qui ab inflatione oriuntur, dolores complexus eſſe Hippocrates videtur, Iliacos ſcilicet, Colicos, aliosque. Quamvis enim ipſius doloris Colici nunquam Hippocrates mentionem injiciat, attamen ſatis ei fuit perſpectus, licet ſub generaliori nomine, ut plures alii affectus, quibus ævo Hippocratéo nulla adhuc humana ſagacitas peculiaria indiderat nomina. Iliacam paſſionem à flatibus oriri interdum, nemo eſt, qui neget: Siquidem non ſemper ob tumorem inteſtina occupantem, neque ob eorundem exulcerationem, affectus ille miſerrimus procreatur. Irritatur flatibus quam maximè facultas expultrix, ut quod ſibi tantopere moleſtum eſt, ejiciat; cum verò fæces, aliaque; quæ in inteſtinis continentur, à flatibus præpeditæ deſcendere nequeant; neceſſum eſt, naturam motum periſtalticum invertat, atque ea, quæ alias per ſedem excerni debuiſſent, per ſuperna, ubi tùm magis via patet, rejiciat; inſuper ab ipſis flatibus in hoc negotio adjuta. Quanta enim aër in anguſto incluſus

incluſus polleat vi, ſatis ſuperque machinæ hydraulicæ, in quibus ad inſignem etiam altitudinem aqua, corpus graviſſimum, attolli poteſt, teſtantur. A convolutis quoque in nodum inteſtinis proficiſcitur, Ileos haud raro, quæ cauſa ipſi affectui tùm apud Græcos, ut εἰλεός appellaretur, tùm apud Latinos, ut volvulus, nomen dediſſe videtur; Hîc verò etiam flatus cauſa eſſe poteſt obvolutionis, dum ſcil. impetuoſius per inteſtina fertur, eaque diſtendendo, atque agitando obvolvit, & nodum efformat vel Gordio ſolutu difficiliorem. Στρόφους ſeu tormina ventri, flatus inferre non opus eſt, ut multis probemus, cum ſæpè ſæpius res ipſa demonſtrat. Quid enim rugitus & murmura qui non raro obaudiuntur, inter ventris tormina aliud, quam flatus in inteſtinis collectos loquuntur. Unde inflatio & tumefactio ventris, niſi à flatu. Id ipſum quoque patet à poſteriori, quod diſcutientibus dolor mitigetur, nullam aliam ob cauſam, quam ob flatus reſolutos & diſſipatos. Quid per ἀποστηρίγματα divinus ſenex intelligat, non immeritò quæri poſſet. Illis vero æque ut per στρόφους Colicos dolores innuere, haud abſurde quis arbitrabitur, quorum quidem jam ſupra meminimus. Ratio, quæ, ut Colicos hic intelligi dolores credamus, nos impellit, ab ipſa ſumitur denominatione, quæ rei notatæ aliàs index ſolet eſſe certiſſima. Denotat autem propriè ἀποστήριγμα perinde ut ſimplex στήριγμα ſtabilimentum ſeu fulcrum aliquod infixum, & eſt ἀπὸ τοῦ στηρίζω, quod firmiter infigo ſignificat. Quam aptè autem hoc dolori Colico congruit, utpote firmo & ita inteſtina torquenti, ac ſi ſpiculum aliquod, ut ipſius Hippocratis phraſi utamur, illorum carnem infixum penetraret. Quod ſanè à flatus inſolentia atque inæqualitate provenit, dum ſubinde inteſtina inflat, & novus, ſicubi prior locum ampliorem invenerit, continuò ſuccedit, ſpatiumque, quod, priore ad alia loca recepto, paulum ſubſidit, denuo inflat atque diſtendit. Accedit, quod inteſtina partes ſint teneræ, ſenſuque exquiſito præditæ. Inconſuetæ hujus vaporis ac prius intactæ, quod quidem eam ob cauſam Hippocratem dixiſſe putamus, quod, licet accurato ſenſu polleant, tamen, quia ab acrium etiam mordaciumque humorum bilis atque melancholiæ tranſitu non

læduntur, dum huic tanto temporis tractu aſſueverunt, veriſimile videtur, à ſpiritu ejusmodi inſolito inflata inteſtina maximè dolere. Avicenna quoque flatus colicos dolores generare agnovit, referente Valeſco de Taranta *phil. Pharm. l. 4. c. 16.* Dolores inteſtinorum nonnunquam Hypochondriorum dolores & inflatio comitatur, tùm inprimis cum flatulentus ille halitus ad eas partes defertur. Sicut & interdum ubi magis adhuc deſcendit Ilia occupat. Imò interdum & hæc & hypochondria ſimul affligit. Sed, quod mireris, deſtillationes quoque à flatibus oriri manifeſte Hippocrates declarat. Ipſe quidem injicit, dicturum forte quempiam, quomodo defluxiones à flatibus oriri poſſint, & quomodo hæmorrhagiæ ad pectus? Sanè nulla fluxio eſt absque humore, ergò ille & cauſa. Ad hæc in omni deſtillatione fertur deorſum materia, flatus verò ex ſui natura ſuperna petit ut plurimum. Quibus eleganter admodum Hippocrates reſpondet: ſcilicet hoc non fieri (ut loquuntur) per ſe, ſed per accidens. Cum enim flatu repleta ſunt vaſa, caput admodum gravatur, flatus incluſi ſanguinem propter viarum agitant anguſtiam, quo agitato id quod tenuiſſimum & maxime liquidum eſt, venis, vel per ἀναστομώσεως, vel διαιρέσεως modum elabitur, elapſus poſtmodum è ſuis conceptaculis ſanguis colligitur, & è cerebro ad partes ſubjectas atque vicinas per cognitos ſibi meatus defertur, ubi, cum conſtiterit, alium atque alium procreat affectum. Sic ad oculos decumbens ophthalmiam, aliosque oculorum affectus inducit, & viſum lædit. Ad aures projectus otalgiam, & ſurditatem efficit. Ad nares verò ruens plerumque Coryzæ eſt auctor. Ad inferiores partes delatus itidem plurima inferre valet incommoda, fauces exaſperando, tuſſim excitando, reſpirationem difficilem reddendo, pulmones ulcerando & empyema atque hæmoptyſin efficiendo. Ad infimum uſque ventrem deſtillatio pervenire poteſt. Ibi vero nec pauciores, nec minores affectus comites habet, quos quidem, cum cuilibet facilè innoteſcant, non recenſuit Hippocrates. Cæterum non prolixa hîc opus videtur eſſe explicatione, quomodo defluxio à flatibus excitata enumeratos producere queat affectus. Quod oculos attinet, notum eſt, quamvis ſint membra admodum exi-

gua,

gua, plurimis patere affectibus, plerumque à deſtillatione promanantibus. Quare Hippocrates omne quicquid oculos affligit, per *πόνον* intellexiſſe videtur, inquiens, *ἐπὴν ἐπὶ τὴν ὄψιν ἔλθῃ, πάντης ὁ πόνος*. Si viſui ſuperveniat ei moleſtia: cum hoc vocabulum ipſi ſit admodum familiare, ubi vel dolorem vel alium quemvis affectum exprimere voluit. A fluxu enim communiſſimi oculorum affectus Epiphora & Ophthalmia, itemq; Pſorophthalmia & *Ξηροφθαλμία*: quæ licet ſicca ſit lippitudo, tamen non niſi ab humore influente eſt excitata. A flatu & fluxu quoque eſt palpebrarum convulſio, quæ vel earum inverſionem vel Lagophthalmiam infert. Promovet quoque fluxio & flatus palpebrarum coaleſcentiam, unde *ἀγκυλοβλέφαρον* & interdum cæcitas. Sic & alii oculorum affectus v. g. aquula, grando, hordeolus à fluxione procedunt, quam flatu excitari poſſe, jam abunde demonſtravimus. Sed & affectus ſunt oculorum, qui citra humoris alicujus influxum à ſolis flatibus atque halitibus procreantur. Inter illos verò eminet ſuffuſio, & inprimis, quæ ſpuria dicitur: de exquiſita enim (quam Cataractem nominant) merito dubitatur, à ſolo flatu vel vapore excitari poſſe, cum ſit fixa & permanens, neque ut ſpuria intermittat. Hoc equidem verum eſt condenſari flatibus humores poſſe, veruntamen aqueum in oculo humorem citra alieni alicujus humoris admixtionem à ſolo vapore, ita obſcurari haud veriſimile videtur. Flatum tamen adeſſe invadendi modus, qui ſubitaneus eſt, teſtatur. Verum, ut ad alteram redeamus, oritur illa à vapore vel flatu, qui vel è propinquo cerebro ſcil. confluit, vel è longinquo; ventriculo, nimirum aliisque capiti ſubjectis partibus ad oculos elevatur. Probat vero eſſe flatum paroxyſmi tùm acceſſio, tùm remiſſio, quæ utraque eſt repentina, nec diutius durat, quam flatus ille ſit diſcuſſus. Imò in ipſo paroxyſmo inconſtantia ſatis vaporem arguit, quod & falſæ oculis obverſantes ſpecies ac *μαρμαρύγαι* teſtantur. *Ἀμαύρωσιν* quoque à flatibus ſeu vaporibus interdum excitari citra humoris affluxum, quanquam rarò, ſana dictitare videtur ratio, ſiquidem à compreſſo nervo optico duxerit originem. Si enim pituita, quæ tamen ut plurimùm à flatibus impellitur, comprimere nervum

vum valet, quid ni & flatus cum inhæret vicinis partibus, quibus tumefactis neceſſe eſt nervus θλίψιν patiatur: oritur alias affectus iſte, ut plurimùm ab obſtructo per humorem craſſum nervo optico, hîc verò & ſuas partes uti in ſupra enumeratis affectibus, flatum, ut cauſam mediatam, vel ſine qua non facilè, habere deprehendimus. Quomodo enim ejusmodi humor anguſtiſſima illa ſpatia ſubiret, niſi vi flatuum impulſus? A ſolis quoque flatibus dependet oculorum inflatio, Græcis ἐμφύσημα dicta, in qua oculi ſine cauſa manifeſta intumeſcunt. Qui quidem affectus, adjectis topicis diſcutientibus perinde ut cauſa evaneſcit, ſed & citò redit, ut omnes ferè affectus à flatibus excitati, præſertim in phlegmaticis & melancholicis. Præter alios oculorum affectus à flatibus etiam interdum affectum Græcis ἵππον vocatum oriri teſtatur magnum Academiæ hujus Lumen Illuſtris Melch. Sebizius *ſpec. Med. pract. pag. 575.* Cæterum huc omnes quoque tunicarum oculum inveſtientium diſtenſiones, ſæpius à flatibus ortæ indeque manantia ſymptomata referri deberent. Sed ſatis ſit, oculorum affectus aliquot tetigiſſe, cum illis enarrandis omnibus vel mens noſtra, vel hæ pagellæ non ſufficiunt. Ad aures ergò ductu Hippocratis progredimur. A defluxionibus oriundi plurimi affectus, tùm interiora aurium affligunt, tùm exteriora, ex. gr. phlegmone, ulcus, parotis, quæ quomodo à flatibus provenire queant, ſatis in oculorum affectibus dictum putamus. Nunc illas tantùm, quæ absque humore à flatibus ſymptomata auribus accidere poſſunt, perſequemur. Præcipuum verò & communiſſimum eſt aurium tinnitus, cujus nulla ex Illuſtris Sebizii *ſpec. pract. p. 2. ſ. 6. c. 10.* & omnium Medicorum ſententia niſi una in genere cauſa eſt, ſcilicet vapor vel ſpiritus flatulentus in aure collectus, qui pro varietate quantitatis, qualitatis & motus varias quoque ſonorum ſpecies formare ſolet. Pro ſpacii quoque, per quod fertur, amplitudine variatur. Haud aliter ac aër fiſtulis inflatus muſicis. Fien. *cap.* 10. Varios aurium tinnitus ſpecies, prout flatus ſe habet, exortas recenſet, ſimulque ſigna, quibus, qualis flatus ſit, innoteſcat. Accidit quoque interdum à flatu, nervi acuſtici viciniam occupante, ſurditas aut ſaltem auditus diminutio.

minutio. Satis etiam viribus flatus pollent, ingentes aurium inferendi dolores, membranas divellendo & diſtendendo. Sed quomodo nares à flatibus lædantur, paucis quoque eſt disquirendum. Infeſtatur naſus plurimis affectibus, qui omnes tamen à fluxione pullulant. Si verò, quod Hippocrates dixit, fluxionis cauſa flatus ſit, à flatibus omnes narium affectus dependere eſt manifeſtum. Ipſe quoque Coryzam nominat, utpote affectum admodum familiarem. Sed & hoc modo hæmorrhagias narium à flatibus oriri dicere poſſumus, ſiquidem, quod Hippocrates teſtatur, fluxio ſanguinis à flatibus ſuſcitata è cerebro ad alias ſubjectas partes delabi poteſt. Sed & ad lædendum vel abolendum olfactum flatus interdum concurrit, dum humorem phlegmaticum & viſcoſum urgendo organa olfactoria obſidet. Eſt & ſternutatio, quæ interdum admodum moleſta exiſtit, flatûs ſoboles, quæ à nulla alia re, quam à flatu intus contento ac vi erumpente proficiſcitur, ſtrepente, quia per anguſtum ei eſt exitus juxta *aph. 51. ſect. 7.* Sed pergit Hippocrates ad affectus à defluxione ortos, pectus vexantes, quos ne iterum ordo ut ante turbetur ſequentibus reſervabimus, duos generis nervoſi affectus, quorum ipſe quoque meminit prius conſideraturi. Sunt autem illi Apoplexia atque Epilepſia. Ait Hippocrates: Jam verò etiam Apoplexiæ à flatibus fiunt. Nimirum quando flatus frigidi multi penetrarint ac inflarint carnes. Quod quidem prima fronte potius ſpaſmi flatulenti, aut ſtuporis alicujus in artubus videbitur cauſa, quod & ſequentia, cum ait, tum enim iſta corporis ἀναίσθητα ſtupida fiunt, ferè demonſtrant. Verum, ſi rem accuratius perpendamus, Hippocratem per vocabulum σαρκός medullarem cerebri ſubſtantiam intellexiſſe apparet, cum partes corporis molles eadem voce ſæpius expreſſerit, id quod ſuperius quoque allegata verba, quibus inteſtinis carnem (nempe ſui generis) tribuit, declarant. Ratio verò, quomodo Apoplexia oriatur, ſic ſe habet. Flatus multi ac frigidi medullarem cerebri ſubſtantia penetrantes inflant, inflatamque refrigerant. Qua refrigerata omne nervorum genus ſuo defraudatum genio, neceſſum eſt, & motus & ſenſus patiatur jacturam. Qui quidem, ſi totum cerebrum fuerit obſeſſum, in toto

corpore abolentur, veramque & propriam inferunt Apoplexiam. Sin vero pars tantum cerebri ſit inflata, Hemiplexiam & Pareſin pariunt. Quod hisce verbis voluiſſe videtur Hippocrates, inquiens, ſiquidem plurimi flatus per univerſum corpus diſcurrant, totus homo ſideratur: ſi per partem, pars illa. Neque vero Hippocrati ſufficit rationem generationis apoplexiæ explicaſſe, ſed vere à flatibus oriri è ſymptomate comitante, atque curatione demonſtrat. Symptoma vero illud idem eſt, quo ſupra quoque febrium cauſam flatus eſſe probavit, ſcil. oſcitatio. Curatio verò flatus diſcutiendo morbum ſolvens, & morbus, niſi flatus reſolvatur, perſeverans eandem urgent ex mente Hippocratis cauſam. Sed & ſacer morbus, quomodo à flatibus proficiſcatur, Hippocratem audiemus explicantem. Oritur autem hunc in modum. Plurimus ſpiritus corpus ingreſſus ſanguinem turbat, non aliter ac ventus mare fluctibus exagitat. Turbatum ſanguinem excipiunt obſtructiones, quæ eidem liberum poſtmodum tranſitum non permittunt. Hinc libero tranſitu ſanguini denegato inæquali eundem motu, alibi celerius, alibi tardius, moveri, imo alicubi quieſcere, eſt neceſſe. Hanc verò ſanguinis perturbationem atque inæqualem motum perverſio quoque totius corporis, & inconcinnus ejus partium motus ſequitur, communem hoſtem expellere nitentium. Sed &, ſi aliter epilepticarum convulſionum invaſio à Medicis exponitur, vapor quoque ſeu flatus ubique ſibi proximæ cauſæ nomen vendicat. Sive jam illum in cerebrum delatum ab eodem, tracto in conſenſum genere nervoſo ac muſculoſo, diſcuſſum dicamus, ſive eo, quo antea ex Hippocratis ſententia diximus, modo diſſipatum. Verum ne absque ratione flatum Epilepſiam excitare Hippocrates cauſatus videatur, placitum ſuum argumentis à ſymptomate & ſolutione morbi deſumptis demonſtrat: videlicet à ſpuma os occupante, quæ nunquam flatum vel aërem mentitur. Quem etiam prodit ſanguis, cum ab incaleſcente ob vehementiam paroxyſmi corpore calidus redditus, eum reſolvit, reſolutum expellit, hoc pacto ipſi finem faciens affectui. Verumenimverò paucis addendi ſunt reliqui â flatibus oriundi capitis affectus, ab Hippocrate quidem omiſſi, nobis tamen

men minimè prætereundi, at brevius tractandi, quam ſuperiores, fuſius à nobis deſcripti, ut quorum omnium cauſas flatus eſſe non æquè, ut de aliis auctores memoriæ prodiderunt. Inter illos verò eminet intemperies cum vapore vel ſpiritu flatulento, flatus & ſoboles & genitrix, quam, quia Sennert. *l.1.prax. Med.p.1.c.6.* ex arte tractavit, tantum tetigiſſe nobis ſufficiat. Deliria quoque melancholica & vertiginem à flatibus productam, jam aliquoties laudatus Fienus *tract. ſut. cap.* 10. demonſtrat. Sed & melancholiæ hypochondriacæ flatum cauſam exiſtere commune perhibet ſuffragium Medicorum, ut non opus ſit multo verborum apparatu rei tàm manifeſtæ explicandæ. Triſtiſſimus quoque nervoſi ac muſculoſi generis affectus, Spaſmus appellatus, interdum juxta humorem & flatui ſeu vapori debet originem, ſiquidem quam veteres, ut Hipp. *aph.39.ſ.6.* repletionem ac inanitionem nervorum cauſati ſunt, quæ apud Neotericos exolevit. Inprimis autem à vapore ſpaſmus eſt, quem artis proceres improportionatum ad materiam appellare conſueverunt, quod, quæ ſupra de Epilepſia diximus, probant. A ſolo verò flatu ille eſt, quem flatulentum nominant, quod & nomen & invaſio & ſolutio ſatis indicant, quare ne lucem aperto die accendere videamur, ulteriori de illo ſermoni ſuperſedemus. Sed & flatuum ſeu vaporum ſoboles ſunt præter Apoplexiam ſupra memoratam reliqui ſoporoſi affectus, Lethargus ſcil. Coma, Carus, Catoche ſeu Catalepſis. Siquidem in illis omnibus cauſa flatum generans adeſt, ſcil. pituita, vel alius quivis humor viſcidus. Et ſane, quid multis opus, cum illius quoque, quem lege naturæ capimus, ſomni vapor cauſa exiſtat. Prodit quoque originem inter hoſce affectus inprimis catoche modo invaſionis. Invadendi modus & remittendi delirationis etiam illius, qua affecti onere quodam ſupprimi imaginantur, arguit cauſam, quam proinde Græci ἐφιάλτην nominarunt. Addimus adhuc Fienum *cit. tr.* ὀδοντα λγίαν à flatibus exortam ſibi viſum demonſtraſſe. Protraheretur in prolixum diſputatio, ſi vel ſolos capitis affectus, qua ratione à flatibus oriri queant, pertractari eſſet animus; huic verò operæ cum nec vires nec ætas ſufficiant, benevolus lector aliò remiſſus, affectus præcipuos

 tantùm

tantùm nos indicaſſe, æqui bonique conſulet. Hac enim brevitate relicto, quod cæteris membris velut excelſa quædam arx pro imperio imminet, reliquum corpus percurremus. Capiti proximè ſubjacet medius venter, thorax dictus, cui flatus quoque haud rarò morbis procreandis moleſtos eſſe, ſuperius dicta jam aliquatenus declarant. Ipſe quoque Hippocrates intra thoracis cavitatem latentem affectum ἐμπύημα vocatum à flatibus oriri poſſe patefecit. Cum enim, uti jam ſupra oſtenſum, defluxiones plurimas à flatibus promanare explicaſſet, aliquot, quibus deſtillatio propior cauſa exiſtit, ſubjunxit. Et ſane ſi prius, quod ſuperiora demonſtrant, verum eſt, ſcil. deſtillationem interdum à flatibus eſſe, neminem puto empyemati eundem ortum eſſe denegaturum. Si vero empyema à flatibus eſt, φθίσει quoque originem dare concedent omnes, ſiquidem haud rarò juxta *aph.* 15. *ſ.* 5. ob empyema obortæ. Sed & quæ à ruptione procedit tabes, & ſanguinis expuitio à flatu provenire poſſe veriſimile eſt, cum à nimia extenſione membranarum venarumque, cujus flatus intus contentus auctor eſt, facilis eſt ruptio. Quod idem Fien. *libr. cit. c.* 10 agnovit. Alios quoque thoracis affectus flatus progenerant, inter quos tamen communiſſimus eſt dyſpnœa, omnisque reſpirandi difficultas. Quam quidem plerumque infra diaphragma latentes, efficiunt. Hoc ſiquidem diſtentum atque elevatum liberè moveri nequit, quo fit, ut actio quoque, quæ ab eo promanat, reſpiratio lædatur. Pleuritis quoque præſertim ſpuria nonnunquam thoracem exagitat, ob flatum interſtitia muſculorum ac membranarum ſubeuntem exorta. Quod modò laudatus Fienus fuſius demonſtrat. Ad id nunc redimus, quod jam ſupra Q. VII. mirati ſumus, ſcil. cor membrum calidiſſimum & fontem omnis caloris nativi, flatibus quandoque affici, quod effrenis ille affectus, cordis παλμός, palpitatio, ſeu tremor appellatus, ſatis ſuperque probat. Galenus *l. 2. de ſympt. cauſ. c.* 2. omnis palpitationis cauſam aëream quandam ſubſtantiam craſſarum partium ac halituoſam eſſe prolixè demonſtrat: ex quo Alex. Maſſarias *pract. Med. l.* 2. *c.* 8. infert, ab ejusmodi ſubſtantia etiam cordis eſſe palpitationem. Idem quoque Fienus *tract. cit. c.* 10. eleganter declarat,

qui

qui tamen cordis palpitationem diſtinguit, cum non omnem à flatibus aſſerit promanare. Secutus quoque nominatos auctores eſt in hoc aſſerendo Vir ſupra omnem laudem poſitus D. Melch. Sebizius *Spec. Med. pract. p. 3. ſ. 4. c. 3.* Nos prolixiorem hac de re ſermonem fugientes in auctoritate tantorum virorum acquieſcimus. Verum enim vero repetita, qua antea inceſſimus, via, rurſus transgreſſo diaphragmate, reliquos in abdomine à flatibus ſuſcitatos affectus luſtrabimus. Primus vero ſe offert ventriculus. quem ſupra frequentiſſimum atque aptiſſimum generandis flatibus locum nominavimus. Qui ſane eam ob cauſam crebris à flatibus divexatur moleſtiis. Inter quas communiſſima ejusdem ἐμπνευμάτωσις ſive inflatio, quæ nihil aliud, quam ventriculi flatibus craſſis ac halituoſis ſpiritibus repleti diſtenſio. Repletur verò ventriculus flatibus, vel ob eas, qnas colligit, cruditates, vel propter obſtructionem, qua tranſitus ejuſmodi Spiritibus denegatur, vel ob frigidam intemperiem. Scatet verò cruditatibus præcipuè ob uſum cibariorum ſiniſtrè uſurpatum. Idem quoque non raro obſtructionis parens eſt, uti etiam intemperiei, quæ tamen plures adhuc agnoſcit cauſas. De quibus ſuprà pluribus egimus. Ventriculo annectenda forent inteſtina, ſed eorum mala à flatibus oriunda inverſo quoque ordine ductu Hippocratis jam ſupra conſideravimus; ergo ad illud, quod proximum à dextris ventriculo eſt, hepar progredimur. Patitur nobiliſſimum hoc viſcus inſignes quoque interdum à flatibus moleſtias. Nam æquè ut ventriculus inflatione tentatur, ut vehementer interdum doleat, cum tamen obſcuro ſenſu ſit præditum: qui quidem dolor tumoris flatuoſi ſignum eſt, ut explicat Galen. *comm in aph. 52. ſ. 7.* Præterea morbus, qui Latinis aqua intercus, Græcis ὕδρωψ appellatur, à flatibus oriri poteſt, quod eleganter ac dilucide ipſe Hippocr. *l. de flat. ſ.* 18. declarat, ita inferens. Flatus partium carnoſarum violenter divulſarum interſtitia; ſubtercurrit, atque dolore affligit. Dolori verò facilis eſt humorum attractio, præcipuè ſeroſorum ob ſubſtantiæ tenuitatem. Meatus corporis à flatibus carnes pergreſſis rarefacti facilius humorem, cui jam ab ejuſmodi halitu ſtrata via eſt, admittunt. Quo excepto & retento,

 tento,

rento, alioque ſubinde confluente caro putreſcit & colliquatur. Quæ ita reſoluta cum reliquo liquore, ceu corpus grave, deorſum ad pedes & ſuras deſcendit, atque inibi œdemata, quæ hydrops appellantur, progenerat. Sed & à poſteriori Hippocrates hoc ſuum placitum defendere conatur. Quod aqua evacuata primùm multa appareat, poſt moram autem fiat paucior ob aëris illi commixti evaporationem. Quæ quidem ratio non multum probat, ſiquidem quodvis corpus plurima emittit effluvia, plura quidem liquidius, pauciora ſolidius, uti experientia ipſa teſte loquuntur curioſæ ingenioſorum hujus ſeculi Phyſicorum obſervationes. Plus valoris altera habet quam ſubjungit ratio, quâ concludit ex hydropicorum tumore tam repentè & intra trium dierum ſpatium rurſus increſcente, omni antea aqua evacuata, flatum ſubeſſe, qui cutem in illam altitudinem attollat: cum neque intra hoc tempus tantum potuum corpori ingeſtum eſt, nec carnes colliquatæ ita intumeſcere potuerunt. Hinc ſanè pernicioſus eſt hydrops, tympanites dictus, cujus ſigna flatum arguentia *aph.* 11. *ſ.* 4. ob oculos ponit. Hepati ex adverſo hypochondrio reſpondet Lien, de cujus affectibus à flatibus oriundis, quos inſignes ſuſtinet, pauca erunt dicenda. Tentatur autem ſplen perinde ut hepar ac ventriculus inflatione, & quidem ſæpiſſimè, adeò quidem, ut in tantum exſurgat tumorem, ut nonnunquam ſcirrhum mentiatur. Ab eo quoque eſt Melancholia, quæ vulgò hypochondriaca & flatulenta nuncupatur, de qua tacemus, cum ſummi in arte Medica viri illam abſolverint, ad quos benevolus lector eſto remiſſus. Deſcendimus nunc ad partes excretioni urinæ dicatas, quas etiam interdum flatûs ſævitia doloribus exagitat. Uti in nephritide: cum qua ferè ſemper flatus ſunt conjuncti, id quod bullæ urinis innatantes *aph.* 34. *ſ.* 7. ſignificant. Dyſuriam quoque à ſpiritibus flatuoſis genitam probat Gal. *comment. aph.* 48. *ſ.* 7. à curatione, quod à thorexi hoc hoc eſt vini meraci potu remittat. Atrociſſimum quoque flatus inferre valet genitalibus dolorem in viris, ramice, quem Græci φυσοκήλην appellant, membranas teſtium divellendo atque diſtentando. Fœdiſſimi quoque affectus genitalium

πνευματισμοῦ auctor flatus eſt,teſte Gal. *l.* 14. *meth. med. c.* 7. Sed nec mulies,requin earum naturalia flatibus infeſtentur, liberæ exiſtunt: quod ſatis edocet uteri inflatio. Quæ quidem alterutrum matricis latus occupans convulſione quadā eam in dextrum ſiniſtrumve latus contorquet. At totam obſidens ſymptoma,quod Græci τῆς ὑστέρας ἀνωῤῥοπίαν vocant,procreant, qua uterus inſtar globi ad ventriculum uſque effertur, eumque graviter opprimit, auctore elegantiſſimo Fernelio *Pathol. l.* 6. *c.* 16. Ab inflatione etiam eſt hydrops uterinus qui tympanitæ aſſimilatur, *River. Prax. Med. l.* 15. *c.* 12. Triſtiſſima quoque & miſerrima muliercularum affectio, ſuffocatio uterina, ab aura quadam & flatu maligno ad ſuperiora ac nobiliora viſcera ſublato procreatur, uti experientia & ratio & auctoritas magnorum virorum demonſtrat. Sed, de inferiorum humani corporis partium morbis, quæ diximus,ſufficiant. Paucis,quæ exteriores artus atque ambitum corporis à flatibus profecta mala affligant, videntur addenda. Diximus ſupra ac demonſtravimus ex magni Hippocratis auctoritate,defluxiones nonnunquam à flatibus eſſe exortas. Hoc qui impræſentiarum ſibi revocat in memoriam,facili negotio capiet, qua ratione Arthritis,omniſque ejus ſpecies, à flatibus oriri, dici queat. Rheumatiſmum aliquando à flatibus produci Riverius probat *prax. Med. l.* 16. *c.* 3. Enimvero ſi vel absque humore aliquo,cujus eſt vehiculum,flatum conſideramus, plurimas quoque moleſtas articulis inferre deprehendemus. De ſpaſmo flatulento jam ex ſuperioribus conſtat, ut & divulſione membranarum,quam interſtitiis earum incluſus flatulentus ſpiritus molitur. Spatia quoque inter os ac perioſteum ſubire flatus,& immanem excitare cruciatum, facilè demonſtratur debilem eorum locorum calorem conſideranti, & facilius, ſi Fieno credendum,qui *tr. de flat. c.* 10. ait, flatuum vim tanquam fulmen quoddam per inſenſiles ductus in abſtruſas quasque latebras ſeſe inſinuantem ipſa oſſa pervadere,& in intimis medullis magna moleſtia afficere. Alias quoque muſculoſis partibus præter horrorem atque tremorem ſupra commemoratos flatus infert inquietudines, παλμόν ſcil. ſeu palpitationem & σκορδινισμόν ſeu pandiculationem. Tumore quoque flatulento ſeu

to, ſeu apoſtemate ventoſo cuti, extremoque corporis habitui infeſtus flatus eſt, de quo Fien. *c.* 28. φαίνονται ἐν, ut cum Hippocrate concludamus, αἱ φῦσαι δὴ πάντων τούτων τῶν νοσημάτων πολυεργότεραι αἴτιαι εἰσαι· τὰ δ' ἄλλα πάντα συναίτια καὶ μεταίτια. Hi vero morbi omnes vel tractandi, vel qui tractati ſunt, accuratius exponi debuiſſent. Verum cum jam ab eruditiſſimis viris pertractati ſunt, lucem meridie accendere ineptum eſſet, & tempus mihi imperat, ea omnia huius

——— ——— ——— ſpatiis excluſus iniquis,
Prætereo: atque aliis poſt me memoranda relinquo.
Et ſatis hæc morbis. ——— ——— ———

Quæst. X.

Quibus remediorum generibus flatus potiſſimùm debellentur?

——— ——— ——— Superat pars altera curæ.

ILla autem ut plurimum, cognitâ morbi caus, âfacilis eſſe ſolet. Siquidem ὅς ἂν ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰαθῆναι, ut ait Hippocr. *l. de arte ſ.* 20. Cum autem in his curatio indicans reſpiciat, quod appellant, præſervatorium, Hippocratéus quoque canon valebit, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα. Cæterum triplex in omnibus fons eſt, ex quo medicamenta promanant, Diæteticus ſcil. Pharmaceuticus & Chirurgicus. Diæteticus correctionem victûs monet, & melioris notæ, nec flatulenta alimenta ſubminiſtrat. Ordinem quoque, modum, & tempus ſumendi cibi præſcribit, & reliquarum rerum non-naturalium regimen ita moderatur, ne flatibus generandis novus ſubſternatur fomes. Quam diætam, cum Fienus multoties laudato tractatu abſolvit, non repetendam duximus. Quæ Pharmacia remedia ſuppeditat, communi Practicorum ſuffragio ſunt diſcutientia, aliàs carminativa & ab effectu flatus diſcutientia dicta. Omnia in univerſum calida. Quæ tamen, monente Galeno *l.* 12. *meth. med. c.*8. non ſemper proficiunt, cum, perſiſtente materia flatulenta, calor medicamenti eam adhuc magis in flatus reſolvit, atque ita malum conduplicat.

Uti

Uti nec quæ fomentis, & cataplaſmatibus, aliisque Anodynis fit, tuta ſemper eſt curatio: inprimis, ſi narcotica quoque adhibeantur juxta Galeni placitum, *l.c.* Optima ergò flatui ex ejusdem ſententia eſt medicina, quam præſtant attenuantia non vehementer calida. Tale ferè, ut inter ſexcenta unum proferamus, medicamen videtur eſſe ὀξύμελι ab Hippocr. *l. de vict. acut ſ.* 28. & Galen *comment. 3. in eund.* deſcriptum. Ad omnes deſcendendum eſſet à flatibus ſuſcitatos affectus, quos ſupra nominavimus, & quæ cuique conveniant remedia, explicandum. Verum quoniam nec paginæ anguſtia illa capit, & viri laude digniſſimi in iis enarrandis operam egregiam collocarunt, prolixam eorum enumerationem ſuperfluam duximus, ac benevolo Lectori, cum

Dulcius ex ipſo fonte bibantur aquæ,

moleſtam. Unus tamen Fienus, ſi qui nominari debet, in hoc genere inſtar omnium eſſe poterit. Tertium quoque remediorum penum, Chirurgiam, medicamenta hûc ſpectantia ſubminiſtrare, facile explicari poſſet, ſi ad ſingularia digrediendi nobis eſſet animus. Hoc adhuc adjiciendum eſt, ipſam naturam ſibi ſoli relictam malum à flatibus illatum evincere, & ut phraſi Hippocratéa utamur, eſſe morbi curatricem, tùm ſcil. quandò flatus ſibi moleſtos expellit, atque ita ſublata cauſa ipſum quoque tollit effectum. Sed & interdum per accidens morbum à flatu promanantem curat, alio ſcil. qui eum ſolvit, ſuperveniente, ex more naturæ valdè familiari. Ea ratione febris tumorem ac dolorem hepatis, à flatuoſo ſpiritu inter tunicas occluſo, ſuſcitatos exolvit, uti conſtat ex *aph. 52. ſ.* 7. & Galen. *comm. in eund.*

Plura quidem de ampliſſima hac materia congeſta proferri potuiſſent, ſed quoniam brevitatis initio promiſſæ leges ferè jam transgreſſa eſt hæc diſſertatio, ne porro Benevolo Lectori ſit gravis, hîc

In Cujus cæpit primùm, quoque Nomine

F I N I T!

COROL-

COROLLARIA.

I.

Inter omnia, quæ in noſtro ſunt corpore, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem, Hippocrates & dixit, & probavit.

II.

Morbi occultarum qualitatum non admodùm appoſitè morbi totius ſubſtantiæ, ineptiùs morbi formæ appellantur.

III.

In Medicinà vilia, cognitu eſſe difficilia, & quæ alicujus ſunt momenti, facilè cognoſci, veriſſimum pronunciavit Medicinæ parens Hippocrates.

IV.

Aër corpus nutrit, ſed non ſolus: hinc Plinii l. 7. c. 2. ἄστομοι *nulli: hinc nec ſoli aëri vitam debent Manucodiata, Chamæleon, & Americana avicula Colibri: neq; qui* ἀνορεξίᾳ *aut* ἀποσιτίᾳ *laborant.*

V.

Malum malo, & natura, & Medicina curat.

VI.

Certorum verborum vel characterum uſum ægrotanti perſuadere, indignum, nec licitum Medico, non ignaro, ſi æger convaleſcat, vi Phantaſiæ, non vocum eſſe reſtitutum.